



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

2. De eadem apparitione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

mini Maiestatis, non deditantis in
gratiam seruorum demittere se ad
id, quod statui suo non conueniebat!
idque, ut eos in fide adhuc nutantes
confirmaret, nosque ad escam diuinorum
per fauum mellis & pisces assum
designatam, ad diuinitatem scilicet
suam omnis dulcedinis fontem, & hu-
manitatem igni passionis assam crebro
pieq; in sacra communione degustan-
dam, sibiique deuotè in soleanni Missæ
sacrificio offerendam inuitaret, atque
ad cœlestē illam cœnam nuptiarum
Agni, quam mystica illa præfigurat,
sperandam, desiderandamq; alliceret.
O quam beati, qui ad utramque illam
cœnam nuptiarum Agni vocantur! at
quanto beatores, qui alteram piè fre-
quentare in terris, altera beatè frui in
xternū merentur in cœlis! Amor,
gratitudo, zelus piè communicandi,
& Missam celebrandi vel audiendi.

De eadem apparitione. Ioan. 20. II.

I. **C**VM pius Dominus discipulos
suos vacillantes in fide veræ re-
surrectionis suæ confirmasset, iam pa-
ternè eos alloquendo, se spectandum
& palpandum **omnibus** offerendo, co-
ram

nam ipsis edendo, insuper dignatus est
instar solis eorum mentes diuinæ lu-
cis suæ radijs profundius penetrare, &
perfectius illustrare, referando eis my-
steria redemptionis humanaæ, aperiend-
o sensum Scripturarum, clare de-
monstrando: Sic oportuisse Christum pa-
ti, & resurgere à mortui tertia die, &
predicari in nomine eius pœnitentiam, &
remissionem peccatorum in omnes gentes.
quanto id zelo & gaudio præstiterit
Dominus, præuidens in his pauculis
discipulis tot myriades fidelium, qui
tanto affectu forent hæc arcana myste-
ria credituri, suspecturi, veneraturi,
fideque huius beneficio insignes gra-
tiæ & gloriæ coronas promerituri?
Quam attoniti & exultabundi disci-
puli pependerint ab ore eius, obflu-
pescentes & suam hucusq; cœcitatem,
& mysteriorum sibi reuelatorum pro-
funditatem.

O quanto reuerentiæ, gratitudinis,
amoris & devotionis affectu à nobis
forent excipiendæ diuinæ illustratio-
nes impulsusq; ad continuum mai-
oris perfectionis studium toties nos ex-
stimulantes, cum id vnicè dilectus a-
nimarum nostrarum sponsus deside-
ret?

set? Gratitudo, amor, zelus diuinis
inspirationibus parendi.

II. Deinde, iterum eis pacem tripli-
cem, cuius Deo, secum ipsis, & proxi-
mis necessariam ad munus Apostoli-
cum aggrediendum precatus, substi-
tuit eos sibi in opere missionis suę suc-
cessores, dicens : *Sicut misit me Pater,*
& ego mitto vos : quasi diceret, *sicut*
misit me Pater, *dans mihi omne iu-*
dicium, & potestatem, in mundum,
ad docendam viam veritatis, & vir-
tutis, exemplo, & verbo; non ad quie-
tem, honores, & delicias; sed ad labo-
res, ignominias, ærumnas, persecu-
tionesque sustinendas, licet me infini-
tè amaret : sic & ego, æqualis Patri,
plurima vobis communicans charis-
mata, mitto vos in mundum, measque
vices vobis deego, ad prosequendum
quod cœpit tam arduum opus con-
versionis hominum in laboribus & æ-
rumnis, in persecutionibus & tribula-
tionibus multis, licet vos intimè a-
mem. Quanto proinde studio cuius
vocato ad statum Apostolicum pax il-
la triplex erit procuranda? quantus ze-
lus multa ardua faciendi & patiendi
pro conuersione animarum cōcipien-
dus? Feiuor proficiendi in animæ pu-
lita-

ritate, fraterna charitate, familiaritatem
cum Deo, zelus animarum.

III. Demùm insufflando dedit eis
Spiritum sanctum, & potestatem di-
mittendi peccata (*insufflavit & dixit;*
Accipite Spiritum sanctum, quorum remi-
seritu peccata, remittuntur eu, & quorum
retinueritis, re enta sunt. Quanta beni-
gnitas misericordissimi Salvatoris er-
ga suos Electos, quorum illi nota fra-
gilitas, tam facile & expeditum ijs re-
medium peccata expiandi prouiden-
tis? quanta liberalitas erga suos in ter-
ris vicarios, tam amplam ijs absque ul-
la restrictione concedentis potestate
dimitendi omnibus, omnis generis
peccata, quantumuis enormia, quan-
tumuis multa, & penè innumera, us-
que ad consummationem saeculi; con-
stituendo eos quasi proteges suos, qui
faciant id, quod ipse facturus esset in
terra, si in ea perpetuò maneret, qui
peccatores Deo reconcilient, in san-
ctitate perficiant, in cœli reges inua-
gant? Gratitudo, fervor coope-
randi gratiæ Apostolicæ vo-
cationis in conuersione
peccatorum.
(::)

De